

C A P U T XXXIV.

Cinnabaris Mineralis correctæ usum in arthritide, scabie, erysipelate, &c. perpendit.

ARTHRITICORUM titulum, quæ articulis & juncturis quasi propriè debentur, subeunt etiam quæ p̄re fixo, naturæ amico pollut. Quæcunque enim symptomata in genere à salinis spiculis, acribus, falsis, acidis exsurgunt, in p̄rea viscositate, demulcendique amica naturæ vi solatum inveniunt. Subeunt hunc sensum in primis Cinnabarina, ut Cinnabaris mineralis & Cinnabrium ḡnii, quæ & partium nervosarum dolores omnes unicè solantur & respiciunt, ac in primis quoque articulorum cruciatus, præcipue si cum opiatis maritentur. Hæc etiam sub eo titulo, quod serum respiciant, arthriticis convenient. Sunt enim Cinnabarina quoque resolventia, fluxilitatem sero fœnerantur, coagulationemque maximè prohibent; & tūm aliàs, tūm præprimis hoc casu fluxile reddunt serum. Deinde dolorem ipsum urgentem, à tensione & vellicazione membranarum oriundum, respiciunt, quem sedant præsertim, si fonti ipsi, nempè visceribus depuratoriis & seri acrimoniæ aliis fuerit prospectu. Conveniunt verò hæc, utut externè ḡrialia, apprimè in doloribus articulorum, & aliis à lue vena rea oriundis, ubi emplastrum de raniscum ḡrio Vzgonis prodest.

In omnibus doloribus gravioribus, & præsertim in arthrite convenire Cinnabarin mineralē scribit Georg. Wolffg. Wedelinus, Medicus & Philosopher

phus acutissimus, de Medicam. facult. lib. I. sect. I.
cap. 2. sect. 3. cap. I. & II. Item lib. 2. sect. 2. cap. 10.
tensionem enim & vellicationem membranosi ge-
neris tollit, acorem & acrimoniam, si qua adest, ab-
sorbet & præcipitat. Laudanum opiatum cum Cinnabari nativa mixtum laudatissimum fieri medica-
mentum in arthritide vaga scorbutica aliisque gra-
vibus affectibus, à sero acri acidoque dependenti-
bus *Idem Opiolog. lib. I. sect. 2. cap. 7.* afferit. Et hæc
Cinnabaris nativa apud septentrionales, cùm sero-
fiiores sint, benè resolvitur. Egregiam virtutem
Cinnabari *Gnii*, seu potius *Cinnabari* *nativæ* *Un-
garicæ* vel *Armeniacæ* in arthritide vaga scorbutica
debellanda, ob vim suam anodynam, sanguinem-
que depurandi, nervos nervosafque partes robo-
randi adscribit *Val. Andr. Mollenbroccius* *tr. de ar-
thritid. vag. scorbut. c. II. & 14.* Et maximum levato-
rium *Cinnabarin* *nativam* esse in hypochondriaco-
rum arthritide vaga paresique nec non in nervosis
hystericisque doloribus dicit *Dn. D. Dan. Ludo-
vici de Volatilitat. Salis Tartari* pag. 70. & 71. In
scabie & erysipelate, item in aliis multis affectibus
externis insignem usum habet *Cinnabaris* *nativa* ;
seri siquidem acrimoniam & acorem absorbet, ejus-
que ebullitionem & motum cohibet; in pri-
mis autem efficax satis est, si cum dia-
phoreticis aliis permi-
sceatur.